

consilio ciuitatis Ragusij ad sonum campane in loco solito, ut moris est congregato, in quo interfuerunt consiliarij quinquaginta duo, captum, obtentum et firmatum fuit facta proposita per dominum rectorem s. Blaxium de Baldalio de sui minoris consilij uoluntate possito partito ad bussulos cum ballottis<sup>196</sup>) per XLIV. ipsorum, quod libet qui faciet dohanam magnam a modo in antea faciet solutionem dicte dohane, statim in pecunia numerata. Et quod pro dohana uendicionum possessionum emptor a modo in antea ponere debeat in dicta dohana, unum dignus usque ad tres menses, prout deponitur precium dictarum uendicionum in camera comunis. Et quilibet dohanerius dicte dohane, qui non exegerit statim in pecunia numerata a quolibet faciente ipsam dohanam, uel non acceperit pignus dictarum possessionum, que deinceps uendentur, ut preferatur cadat ad penam ypperper. XXV. pro quolibet contrafaciente et qualibet uice. Et quilibet possit accusare et accusator habeat medietatem, si per eius accusam poterit ueritas reperiri et tenebitur de credencia.

**De doanis forinsecorum anno domini M. CCC. LXXXV. Indictione VIII. die III. Junij.**

LIII. Nos Clemens Marini de Goçe, Rector Ragusij, cum uoluntate minoris et maioris consilij sonitu campane more solito congregato statuimus et firmamus, quod quia pro solutionibus doanarum forinsecorum persepe solent oriri litigia inter doanerios nostros et forinsecos mercatores, quilibet forensis, qui conduxerit mercimonia Ragusii discaricauerit et illa expediuerit quocunque modo de conducta et tracta, soluere teneatur tria pro centenario, et tantum plus ultra tria pro centenario, quantum plus soluerent nostri Ragusei in ciuitatibus et locis talium forinsecorum hoc pro banno per unum Raguseum. Et doanerij habeant libertatem tenendi se ad conductam uel ad tractam mercimoniorum pro doana recipienda prout dictis doanerijs placuerit. Et impredicto ordine non intelligantur nec includantur Veneti, Dalmatini, Aconitani, Sclaui et illi, cum quibus habemus aliqua pacta et conuentiones, quorum pacta seruentur secundum ipsorum formam nec etiam illi intelligantur, qui sunt specificati et nominati.

Item quod quilibet forensis, qui cum suis mercancijs uoluerit facere transitum per Ragusium ad alias partes discaricando ad intus ciuitatem et extrahendo et non expediendo soluere teneatur unum pro centenario. Uerumtamen si uoluerit transitum facere a Corfino citra scilicet in Burgariam, Sclauoniam, Gentam, Bosnam et regnum Hungariae et ad alia loca inter ista nominata posita, in quibus locis nos soluimus doanam, soluere debeat ipse foresterius tria pro centenario discaricando, intus conducendo et extrahendo, ut dictum est. Si quis uero discaricauerit et intus conduxerit et partem expediuerit, et partem non expediuerit pro parte expedita seruetur primum statutum et pro parte non expedita habeat locum hoc secundum de transitu. Et lapides preciosi, margarite seu perle et iocalia habeantur pro mercimoniis,

<sup>196</sup>) Bussola i. q. pyxis, arcua — ballota, ballotola i. q. „calculus ad ferendum suffragium”.